

mysterium hujus rosæ; asserens aurum rosæ designare regem nostrum Christum, cujus opes cœlestes ac divinitatem etiam tres magi auro oblato indicarunt; ruborem, quo tingi solet rosa illa, significare passionem Christi et sanguinem, quo redempti sumus; odorem vero, quo ex musco et balsamo imbuta est, resurrectionis gloriam, quæ velut odor amœnissimus totum aspersit ac pervasit orbem, adeoque ad Christum attraxit, ut omnes terræ principes current in odorem unguentorum ejus. Pervenit quoque ad nos odor iste, unde currimus et ipsi in spem ipsius resurrectionis; exultemus igitur et lætemur; quia prope terminum sumus.

Video tamen non paucos ab hoc cursu impediri ac retineri per aliud quoddam *Lætare*, quod exhibet Ecclesiastes, cap. XI. *Lætare juvenis in adolescentia tua, et in honore sit cor tuum in diebus juventutis tuæ et ambula in viis cordis tui.* Cui simile est alterum, quod habet Jeremias, Thre. IV. *Gaude et lætare filia Edom, quæ habitus in terra Hus.* Vult dicere. Gaudete jam Idumæi ob spolia et prædas, quas vobis rapuistis, dum una cum Chaldæis Jerosolymam evertistis. Verum hoc *Lætare* magno nimis constat. Priori enim *Lætare* addit Ecclesiastes: *Et scito quod pro omnibus his adducet te Deus in judicium.* Posteriori vero Jeremias: *Ad te quoque perveniet calix, inebriaberis atque nudaberis.* Calix nimirum furoris divini, quo impleberis, et velut ebrius tu quoque spoliaberis. Hic finis, hæc corona mundani illius *Lætare* est, quod nemo nisi insanus quæret. Vult ergo dicere Salomon et Jeremias: Nam lætare, non gaude; quia hanc lætitiæ caro nimis pretio solves; postquam hujus gaudii extrema luctus occupabit. Cum Massilienses peste laborarent, unus e pauperibus sese offerebat alendum anno integro cibis optimis et deliciis variis, quascumque optaret. Finito anno coronis et sacris vestibus ornatus circumducebatur per urbem cum innumeris execrationibus et imprecationibus; postea mactabatur, vel in aquas demergendus projiciebatur, ut sua morte expiaret civitatem. Refert Corn. in I. Cor. IV. Quis quæso hujus pauperis personam sustinere vellet? Quis ita insaniret? Eum tamen imitantur, quotquot mundi *Lætare* per annum quasi unum, hujus scilicet vitæ curriculum stulte amplectuntur; qui, ubi in deliciis paucos dies egerint, ad finem cum mille execrationibus ducuntur ad macellum, et projiciuntur in infernum. Nostrum ergo *Lætare* non sit de hoc mundo: sed de Deo, de tribulationibus, de bona conscientia, de spe gloriæ æternæ.

## CONCIO V.

## NAVIGIUM BACCHI, SEU EBRIETATIS MALA.

I. In prora est panthera. — II. In puppi tigris. — III. Hinc inde hedera et musica instrumenta. — IV. In medio canalis vini. — V. Navis ipsa, velis, remis et gubernatore caret.

## THEMA.

*Abiit Jesus trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis.* Joan. VI.

Polyænus, lib. I. scribit de celeberrimo illo bibulorum patrono, Baccho, quod cum adversus Indos expeditionem faceret, ut a civitatibus in regem reciperetur, perspicuis ac manifestis armis exercitum non armavit, sed hostes vino inebrians ad saltationem provocavit atque impulerit, sicque illorum dominus et rex evaserit. Astutia hæc dæmonis est; qui cum manifestis insidiis homines sibi subjicere nequit, tentat vinolentia. Et si alias unquam, certe hoc tempore, quasi defectus ciborum compensari debeat potatione et ebrietate. Non ita Christus Dominus in hodierno evangelio qui navim conscendit et trajecit in desertum, ubi maximæ hominum multitudini non sane vinum offert, sed esuriales potius cibos, panem et paucos pisces, in potum nonnisi aquam ex proximis rivis aut fontibus. Et nihilominus id obtinet, ut in regem eligendus tantum non rapiatur; raptusque fuisset, nisi fuga gloriam hanc declinasset. Itaque longe alia hæc est navigatio Christi a navigatione Bacchi. Quod ut melius videamus, navim et mores Bacchi videamus.

Philostrato auctore apud Carnead. lib. III. de imag. Bacchum conviviorum præsidem navigio vehi finxerunt, in ejus prora panthera, in puppi tigris, hinc inde hedera et musica instrumenta, in medio canalis vino æstuans; nulli in navigio remi, nullum velum, gubernator nullus. Sic nimirum navigatur, ubi naufragia sunt virtutis, et morum corruptelæ.

I. In prora erat panthera. Primo, quia vini amantissimum animal, unde a vinosis fontibus dicitur disponere canales usque ad cubile suum, nec feræ, nisi ebriæ capiuntur, Pier. lib. XI. Quid aliud ebriosus, qui meliora vina perquirat, et ad se variis cellariis derivat, ut notus ille Germanus, qui in Italiam proficiscens, amulum præmisit, qui meliora in hospitibus vineæ investigaret, et domui inscriberet verbum *Est*. Sed miseri hoc laqueo facile citoque capiuntur, mente et corpore, vitæque longiore se spoliant. Quod experti Amnon, Balthasar, Holofernes, Alexander M. Simon dux, Attila, alique innumeri: qui in temulentia vel occisi sunt, vel aliter perierunt.

Dalila Samsonem, quem nullis aliis blanditiis vincere poterat ad indicandum sibi arcanum, tandem vino sopitum (*bene potum*, ait Josephus) vicit, ut scribit idem Josephus, lib. V. c. X. consentit S. Ambrosius, ep. LXX. S. Basilus, orat. II. de jejun.

Secundo, quia panthera divinam hominis effigiem detestatur et oblatam lacerat. De quo scribit S. Basil. orat. X. de invidia et odio. Pantheræ naturalem quamdam habent adversus hominem iram, et solent vel maxime in oculos insillire. Hinc qui insanæ illi bestię illudunt, ex charta imaginem quasi hominem ipsi ostendant: illa vero nimio impetu ac nulla consideratione facta esse hominem autumans, chartam veluti nominem concepit, atque hinc quanto sit in hominem odio ostendit. Ebrietas hæc bestia est, homini maxime infensa, et oculos rationis eruens; adeoque imaginem Dei in eo dilanians ac disperdens. Unde Isa. XXVIII. dicitur: *Absorpti sunt a vino, erraverunt præ ebrietate, nescierunt videntem.* Hebræi *hallucinati sunt videntem.* Post hæc uti Samson erutis oculis velut asinus molam vertere coactus est: ita qui ebrietate cæcati sunt, in varias bestialitates facile præcipitantur; uti ille, de quo S. August. ser. XXXIII. ad fratres in eremo: « Accidit hodie terribilis casus. Ecce præclarissimus civis noster Cyrillus filium habebat, qui hodie ebrietatem perpessus, matrem prægnantem nequiter oppressit, sororem violare voluit, patrem occidit, duas sorores vulneravit ad mortem. » Ita nimirum iste vino excæcatus fuit, ut suos parentes et sorores non agnosceret.

Tertio, panthera occultam odoris suavitatem olet, gratam cæteris feris; quare ferociam spirans caput sub frondibus abscondit, sicque latens hinnulos, capreas et capras silvestres aliaque animalia, odoris sui illecebra ad se trahit, accedentes vero e latebra exsilens corripit ac comprehendit, Ælian. de animalibus, l. IV. c. XL. Sic omnino ebriositas delicias et voluptates præ se fert; iisque velut illecebris allectos ad societatem suam plures trahit, tumque in eos rabiem suam exerit. Unde S. Basilus, hom. contra ebrietatem ait: *Vocas ad cœnam amicum, postea ejicis ut cadaver, anima ejus extincta.* Sæpe etiam contingit, ut qui initio compotantes optime inter se convenerunt, postea in ebrietate fiant inimici et contendere incipiant, uti Alexander M. et Clitus ab eo interfectus: ut eo quod in convivio Alexandri laudes obtereret, Philippî acta extolleret, Curt. lib. VIII.

II. In puppi tigris. Primo, quia uti tigres in Brasilia famelicæ horribili velocitate sunt, viribusque fremendis, pastæ vero tanta ignavia dicuntur

esse, ut a gregatis etiam confestim in fugam agantur, auct. Maffeo, in hist. Ind. l. II. Ita prorsus ebriosi ante prandium ac sobrii mira sæpe ingenii felicitate mira et magna præstant, ratiocinando consulendo, disputando, perorando: ast a prandio ubi bene pasti et poti sunt, prorsus ignavi sunt, facillique dæmonis præda fiunt, et in gravia peccata impelluntur. Patet in Lotho qui sobrius quidem legem Dei observavit et vitam etiam inter nefarios Sodomitas duxit inculpam, vino vero sopitus commisit incestum, et quidem iterato, Gen. IX. Patet in Holoferne, qui sobrius terror orbis fuit, et omnes urbes, principes et reges provinciarum Nabuchodonosori subiecit: ebrius vero ab una muliere proprio gladio occisus est. Unde S. Amb. de elemosyna et jejunio, c. XIII. ait: « Quos mane insignes armis spectaveras, vultu minaces, eosdem etiam vesperi cernes a pueris rideri, sine ferro vulneratos, sine pugna interfectos, sine senectute tremulos. Qui prius modesti et consopiti erant, postea impudentes fiunt: qui sobrii doctores erant, inebriati insaniunt: qui prius strenui et invicti milites, postea a puero superari et prosterni possunt: qui prius venerationi erant, postea conculcantur et ludibrio fiunt. »

Secundo, tigres suis catulis ita spoliant venatores; quippe sphaeras vitreas obijciunt insequentibus matribus quas illæ intuentes, imagine sui in illis conspecta deceptæ catulos subesse putant, præsertim dum moventur ab iisdem. Sed cum pedibus eas frangunt, spe delusæ pergunt insequi venatores: illi autem subinde alias sphaeras objectant, donec tuto ad naves vel urbes evadant. Refert C. Ambr. l. VI. hestam. c. VI. Pari modo ebriosi a dæmonibus illuduntur. Vitra falerno plena proponunt ac propinant ebriosi, quorum splendore ac suavitate inescatos detinent, subinde alia et alia pocula propinando interim eos despoliant gratia, mente, honestate, valetudine, ac bonis pene omnibus. Hinc monet Sap. Prov. XXIII. *Ne intuearis vinum quando flavescit cum splenduerit in vitro color ejus. Ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber.* Blande ingreditur, quia sensim et inadvertenter hominem in peccatum trahit, dum bibens unum poculum post alterum, dulcedine ejus et societate compotantium illectus, suisque viribus confidens, nescius quasi inebriatur; quod in aliis peccatis non fit.

Talia vitra sunt, quæ describit S. Amb. de Elia, c. XVII. « Bibamus, inquiunt pro salute imperatorum, et qui non biberit sit reus in devotione. Videtur enim non amare imperatorem, qui pro ejus salute non biberit, o piæ devotionis obse-

quium! Bibamus pro salute exercituum, pro comitum virtute, pro filiorum sanitate! » Numquid me sanabit, ait quidam, si ægrotaro, is pro cuius sanitate bibo? Et nonne melius foret cadere in bello pro imperatore, quam domi ex vino!

III. Hinc inde hedera et musica instrumenta. Quid hæc? Heder ab edendo, quasi *hedera* dicta, quia muris et arboribus adhærescens, eas exedit et corrodit ac multoties secum ad terram trahit atque prosternit. Nonne et hoc vinum facit: nonne vires bibenti adiuvat? Nonne exhaurit et enervat, ac secum cadere facit? Hinc enim vinum *dolosus luctator* dicitur, quia *primum pedes capit*. Quid quæso Alexand. M. tot gentium victorem vicit et in flore juventutis prostravit nisi vinum?

Deinde sicut hedera per se stare nequit, sustentaculo eget, arbore aut muro: ita ebrii quoque nesciunt stare, vacillant gressu, subito corruunt, numerare nesciunt, omnia duplicia vident. Unde Amphitryon rex tunc Baccho tecto delubrum extruisse dictus est, cum docuit Thebanos aqua vinum mixtum bibere, quod tunc nimirum homines minime titubent, cadantque teste Athenæo, l. XLVIII. Gymnosoph. Musica vero instrumenta quid nisi insolentias et levitates, clamores et cantus ebriorum indicant? Quemadmodum erge onocratolus ubi guttur suum, quod uteri speciem refert, implevit voracissima avis, tunc asini vocem (a quo nomen habet) promere, et altum vociferari solet, teste Plin. l. X. c. XLVII. unde onocratoli, id est, *crepitus asini* dicti. Ita ebrii ubi vino incalescunt, clamare, cantare, saltare, contendere et pugnare incipiunt. In Hebræis id experti sunt Moyses et Josue, Exod. XXXII. Cum enim populus Hebræorum absente Moysese in monte Sinai, cœpisset epulari et ludere, descendenti de monte Moysi obvius Josue audiens tumultum populi vociferantis ait: « Ululatus pugnae auditur in castris: contra Moyses: Non est clamor adhortantium neque vociferatio compellentium ad fugam, sed vocem cantantium ego audio. » Cumque appropinquasset ad castra, vidit vitulum et choros. Ecce clamantes bibuli longius audiuntur, quam videntur. Deinde clamor eorum est promiscuus et tumultuosus, quasi variarum bestiarum: nescitur an sit pugnantium aut cantantium: an sit saltus, an funus, an pugna, an synagoga Judæorum, quia alii jubulant, alii flent, alii contendunt et disputant, alii pugnant. Denique cum prope quis accedit, non reperit nisi vitulos meros, mero æstuantem.

IV. In medio canalibus vino exundans. Nihilne aliud Bacchus in navi sua vehit, nisi canalium vini? Nihil prorsus. Et quid ebriosus agit, quid

in ore, quid in mente gerit nisi vinum? Incendium alicubi ortum audivi, cum omnes vociferarentur: aquam, aquam: restinguendo scilicet incendio: tum ebrius in foro jacens et aquam peti audiens; *Mihi vero vinum*, clamat. Sic in persona ebrii, Sap. Prov. XIII. ait: *Traxerunt me et ego non sensi. Quando evigilabo et rursus vina reperiam?* Vinum enim amat, vinum somniat, unde evigilare desiderat ut rursus bibat. In Suecia septentrionali gulo, animal voracissimum, capitur. Pellis ejus pretiosissima dormientibus. Sub harum pellium tegumentis evenire jacentibus solent somnia, quasi animalis vitæ naturæque conformia, quibus appetunt insatiabiliter vorare: ut scribit Olaus, l. XVIII. c. VIII. Non aliter accidit ebriosis, qui edormita crapula mane rursus sitiunt. Causa est, quia ut S. Basil. hom. de ebrietate asserit, vinum utpote calidum, ardorem excitat, ardorem sitim. Sic Charybdis, seu fretum angustum inter Italiam et Siciliam ter in die erigit fluctus et ter absorbet, teste Plin. l. XIII. c. XVIII. sic isti bibunt ut vomant, vomunt ut bibant. Talis vini victor et somniator fuit Wenceslaus ille Bohemæ rex et imp. VI. immanis luero, qui ut Cuspinianus de eo ait: *Nihil unquam boni nec fecit nec cogitavit*. Hic enim inter purpuratos suos crebro dicere solebat: « Ego si me diripiendis urbibus Italiæ sors præsentem dederit, cæterarum prædam militibus impertiar, vini tantum apud me spolia reservabo. » Refert Æn. Sil. l. II. comment. in Panorm. Norimbergenses idem a juramento fidelitatis absolvere voluit, si quatuor currus onustos vino Baccaracensi ei mitterent. Id ibi. De eodem scribit Cromerbus, l. XVI. cum ejus arx aliqua incendio conflagrasset, interrogasse solum, an cella etiam vinaria perisset: cætera non curasse. Nihil ergo iste nisi vinum in corde gessit.

Fit etiam ut vinolentia nimium assueti parum omnino edere possint, et nihil fere eis sapiat, nisi vinum: quod solum semper appetunt, donec hectica vel hydrope vel phthisi confecti immatura morte pereant. Vinum enim ardorem excitat, ardor sitim: sic vitalia comburuntur, ipsique exarescunt in ætatis flore.

V. Navis ipsa velis ac remis ipsoque gubernatore destituta erit. Quid hoc nisi quod Sapiens, c. XXIII. Prov. ait de ebriosis: *Et eris sicut dormiens in medio maris et quasi sopitus gubernator*. Et quod S. Basil. hom. de ebrietate, ait: *Quod navigium ita gubernatore destitutum, ita fluctibus exagitatum et concussum, ut non sit securus ebrius?* Pro gravissimo supplicio sancti aliqui confessores navigiis impositi sunt, remis, velis ac nauta destitutis, uti S. Magdalena cum sorore et S.

Maximo, qui quo voluit Deus, appulerunt. Quod ergo hic in supplicium decretum est, hoc ebriosis sponte sibi irrogant; o insani!

Primo, sine remis enim ac remige navigant, quia rationis usu corporisque viribus destituti exponunt se periculis corporis et animæ. Quomodo enim se defendent non dico contra demones; sed vel contra pueros? In quæ scelera impelli non facile possunt, qui vel armis carent spiritualibus, vel certo uti nequeunt? Scimus Balthasarem in convivio inter pocula a Cyro invasum et enectum ex Dan. V. Addit Xenophon Persas, capta Babylone, in regiam irrupisse et Balthasarem districto acinace stantem reperisse ac trucidasse, lib. VII. cyrop. bene stantem, non pugnantem: quia temulentus qui pugnas-

set? Secundo, sine navarcho, quia navarchus ebrius, quasi non navarchus est; et *Sicut ebrius omnia invertit sive navim, sive cursum, sive exercitum, sive quancumque rem suæ fidei commissam*, ait Stobæus, serm. XVI. *sic ebrius quidquid agit evertit*. Taurus est furiosus excusso jugo discurrens, quod notavit sancta illa Anna, l. Reg. I. quæ cum vinolentiæ argueretur ab Heli: *Ne reputes, inquit, ancillan. tuam quasi unam de filiabus Belial. Belial absque jugo exponitur et tales sunt vino-*

lenti; qui nullam legem, nullius imperium aui consilium audiunt vel curant.

Tertio denique, sine velo navigant, hoc est, sine omni pudore et verecundia. Scimus enim Noen in ebrietate nudatum et a filio derisum: quod viro alioquin sancto contingere permisit Deus, non ut illius exemplo nostra flagitia excusemus, sed ut turpitudinem ebrietatis, utpote multorum dedecorum causam detestemur. Unda Sanctus Ephrem, serm. de virg. tom. I. ait: « Timeto vinum ne ebrietate vincaris, et virtutibus nuderis, quemadmodum antiquus ille justus nudatus est vestibus. » Similiter S. Chrysostomus, hom. XXIX. in Genes. monet: « Si quis ebrietate vincitur, ne evulgetur, sed a suis contegatur, et non sit omnibus risus et turpitudinis argumentum; ne videlicet tam bestialis in homine deformitas, aut indignantium oculis aut ridentium sibilis exponatur. » Et quorsum talis navis tendit, nisi in profundum abyssi et infernum?

Nos igitur navim Bacchi fugiamus, ne per vinum ei subjugemur. Inscendamus e contra navim Christi, quæ non ad vinolentiam, sed ad esuriales cibos ducit. Hunc eligamus nobis in regem, quia ipsi servire regnare est, si cum ipso et nos regnabimus.